



Georg Johann Adolf Häcker

## **Commentatio critica de praecipuis divisionibus lethalitatis laesionum**


Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCCX.


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007295473>**


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1810

Haecker, Georg Jo. Adolph







Commentatio critica  
de  
praecipuis divisionibus  
lethalitatis laesionum.

---

Pro impetrando  
in Academia Rostochiensi  
gradu Doctoris  
Medicinae et Chirurgiae  
examini publico submittitur

*Georgius Joannes Adolphus Haecker,*  
Lübecensis.

---

Rostochii  
Literis Adlerianis  
MDCCCX.

Vireo gilvus

Carolo de Blom

1850

Carolo de Blom

Carolo de Blom

Carolo de Blom

Carolo de Blom

Viro generoso

*Carolo de Bülow*

Hereditario Domino Terrae Wischendorff

pro

summis et plurimis beneficiis

venerabunda gratissimaque mente

hunc libellum offert laeteque consecrat

observantissimus auctor.

Vine Street

Carroll's Alley

Carroll's Alley

Carroll's Alley

Carroll's Alley

Carroll's Alley

Carroll's Alley

---

**D**octrinam de lethalitate vulnerum jam de novo  
perferutatus ante omnia opus erit, ut examini  
subjiciam veterum et recentiorum medicorum sen-  
tentias de optima vulnerum respectu lethalitatis di-  
visione; his tunc apte jungentur ea, quae et ego de  
hac re gravi atque juri criminali et medicinae fo-  
rensi aequè utili, sentiam. Utcunque tamen si a  
vulgari circa vulnerum lethalitatem sententia, tanquam  
via maxime trita, paulisper recedam et minus calcato  
insistam tramiti, veniam meruero, cum neque repre-  
hensionis neque novarum rerum studio permotus haec  
scribam; sed solius veritatis amore. Enimvero in re

me-

medica non ea nostris, quae prioris aevi hominibus placuere, quippe veteres saepissime supposito falso innixi, velut per lubricum et loca paludosa procedentes, saepius foede, nec minus periculose lapsi sunt. Insuper hanc lucubrationem viris doctis trado, spe fretus, fore, ut saltem paucis ea prosim. Pauci forte erunt, qui haec legant, pauciores, qui sententiae meae assentiant. Medicorum plausum non exspecto, neque is sum, qui tantas possim componere lites, quantae inter medicos et juridicos geruntur, qui diverso respectu hanc rem tractant.

---

---

## S e c t i o I.

*Judicium de diversis distinctionibus inter laesiones  
lethales.*

---

### §. 1.

*Laesiones* in se spectatae sunt effectus dolorosi atque periculosi vis externae, quibus functiones unius partis sive plurium partium, sive totius organismi, aut perturbantur, aut tolluntur. Sermo itaque nobis est non solum de vulneribus sensu chirurgico, sed de qualibet laesione, quae vi efficitur, sive sit contusio, sive incisio, aut fractura, aut fissura, commotio, combustio &c. Insuper nihil refert, si pro laesione dicas vulnus, modo vulnus sumatur sensu generaliori, nempe medico-forensi, non chirurgico.

### §. 2.

Clarissimi tam praeteriti quam nostri aevi scriptores, qui medicinam tractarunt forensam, inter se ita differunt respectu doctrinae de lethalitate laesionum, ut fere tot habeas distinctiones, quot exstant hujus scientiae systemata et compendia. Plurimae harum jam  
pri-

primo intuitu falsae apparent, cum neque ad jus criminale, neque ad medicinam forensē applicatio fieri possit, de aliis adhuc sub judicē lis est; quapropter jure haec materia controversiis medico-forensibus annumeratur, quanquam optandum est, ut medici et jurisconsulti (a) tandem inter se conveniant; dissenſu enim hoc, regulae practicae perturbantur.

- (a) Quam longē a se invicem jurisconsulti dissent in constituendo lethalitatis gradu, vide in *Westphal Criminalrecht*. Leipj. 1785. § 396. f. *G. J. F. Meißer* princip. jur. criminal. Ed. 3. Gotting. 1798. §. 132. *Feuerbach* Lehrb. des gemeinen in Deutſchl. gültig. peinl. Rechts. 4te Aufl. Giesſen 1808. §. 208. *Grollmann* Grundf. der Criminalrechtswissenschaft, 2te Aufl. Giesſen 805. § 258.

### §. 3.

Generalis laesionum divisio, quam *Cel. Daniel* (a) solam tuebatur, rejectis omnibus aliis lethalitatis divisionibus, est in *lethales* et *illethales*; sed vir doctissimus et de medicina forensi meritissimus, in ulteriori tractatione sibi non constabat. Statuit enim causas lethalitatis per accidens e. g. imperitiam chirurgorum, quanquam antea vulnera per accidens lethalia rejecerat (b). Caeterum haec *Danielis* divisio primis

lo-

logices praeceptis adversatur, et tam obscure traditur, ut vix auctoris sensum capias,

(a) Instit. med. adumbr. §. 7. 12. 13. 31. 33—42.

(b) Cf. Plouquet über gewaltsame Todesarten. Lüne-  
bingen 788. §. 15.

§. 4.

Praeterea divisio *Danielis* ad medicinam forensem parum sufficit, cum lethalitas laesionum non semper ab ipsa laesione, sed a circumstantiis cum laesione minime cohaerentibus pendeat. Fere omnium consensu tam medicorum, quam jureconsultorum, alia itaque distinctio primatum obtinuit, secundum hanc discernitur *lethalitas absoluta* a *lethalitate per accidens* in quarum vero terminis constituendis iterum valde differunt viri eruditi. Sed evanesceret sine dubio omnis, si sequentes regulas tuas facere velles:

- 1) in definienda lethalitate laesionum *in abstracto*, non solum respiciendum est ad partem laesam hujusque dignitatem et utilitatem, sed etiam ad modum laesionis et ad circumstantias cooperantes. Per paucae enim laesiones, in abstracto absolute lethales vocari possunt.
- 2) verba jureconsultis usitatis, *dolus et culpa* ad medicinam forensem omnino non pertinent,

haec

haec nititur rationis et experientiae praeceptis non fori communis nominibus.

§. 5.

Jam antiquiori tempore medici meritisissimi divisionem in vulnera absolute et per accidens lethalia defenderunt, rejecto quolibet gradu, quem interponere velles (a); dolendus vero est et hic eorum disensus in cujuslibet gradus definitione. Pro more enim consueto, medici forenses veteres indulgebant magis quam par est, praxi criminali in enumerandis laesionibus lethalibus. *Quidam* absolute lethalibus annumerabant omnes laesiones in se periculosas, quae mortem de regula adducebant, quanquam de earum curatione exempla fat multa existerent; perleves vero laesiones unoquoque casu post laesionem mortem adducentes, lethales per accidens vocabant (b). *Alii* contrarium statuentes, omnes laesiones etiam gravissimas, lethales per accidens nominabant, si modo exemplum de earum curatione existeret. Quo artificio perparvus laesionum absolute lethaliu numerus evasit, et indies parvior existit atque existet, cum nostri chirurgiae periti etiam laesiones curent, quae olim pro incurabilibus habebantur (c).

(a) *Werner* in medicina forensi praeter differentiam inter absolute et per accidens lethalia nullam prorsus

sus agnoscere. Regiom. 1750. *Eschenbach* med. leg. Cap. III. §. 46. *Mauchard* disq. de lethali- tate per accidens. Tubing. 1750. *Alberti* l. c. Cap. XXIV. §. 5. *Boerner* instt med. leg. §. 164.

- (b) Cf. *Metzger* Syst. der gerichtl. Arzneiw. 3te Aufl. Königsb. und Leipz. 1805. S. 71.
- (c) *Boerner* l. c. pag. 164. *Tode* in *Schweickhardt* ger. mediz. Beob. I. p. 321. *Kausch* med. und Chirur. Erfahr. Br. 23. 24. 25.

§. 6.

*Prior* opinio respectu fori criminalis nimis est strenua; praetereaue quaestio non esse potest: num medico forensi licitum sit, tam arbitrarias opiniones suas facere et tanquam leges praxi praescribere. *Posterior* omnino praefenda esset, nisi et contra hanc duo potissimum moneri possent:

- 1) Axioma: *quod semel curatum est, semper curari potest*, est paradoxon.
- 2) Sunt morbi periculosi et laesiones periculosae, quae mox arte medici vincantur, mox etiam sine culpa medici mortem adducant.

§. 7.

Multum tamen abest, ut iis assentiam, qui e medicina forensi quemcumque respectum ad jus cri-  
mi-

minale removendum censent. E contrario semper ad hoc respiciendum est, cum nullus medicinae forensis usus existat, nisi ad praxin juridicam applicetur. Jurisprudencia vero est scientia positiva, in qua primum princeps et caput rei est, ut omnia distincte et lucide definiantur, juste distinguantur, firmiterque et extra dubium ponantur, ne res ab arbitrio judicis aut a legum interpretatione pendeat. Propterea etiam omnis lethalitatis vulnerum distinctio, distincta et certa, non incerta atque obscura ut sit necesse est; utrum hoc fiat multiplicando aut simplicando gradus lethalitatis, quaestio non esse potest. *Teichmeyer* opinionem, omnes lethalitatis vulnerum classificationes rejiciendas, et in quolibet singulo casu de lethalitate judicandum esse, meam facere non possum, cum jurisprudencia sit scientia positiva, quae regulis universalibus et legibus nitatur.

## §. 8.

Tutissime incedes, si cum *Eschenbachio* (a), medico quondam forensi civitatis Rostochiensis longe meritissimo, binos tantum lethalitatis gradus statuas, lethalitatem absolutam et per accidens, in casu singulo vero circumstantias singulares bene consideres. Summum etiam laudem meretur Celeberr. *Ploucquetus* (a), discrimen inter *laesiones universaliter*, s. absolute in abstracto *lethales*, et in *laesiones individualiter*, s. absolute

lute in concreto lethales exponens, cui et recte assentitur Ill. *Grollmann* (c), magnum commodum hujus divisionis respectu fori criminalis agnoscens.

(a) I. c. Cap. III. §. 46. seqq.

(b) I. c. p. 59. §. 16. et Commentar. med. in procesf. criminal. Sect. I. Cap. 3.

(c) I. c. §. 258.

### §. 9.

Adversatur quidem *Metzgerus* (a), sed sine justis argumentis. Quomodo enim laesiones indiydualiter lethales et per accidens lethales misceri possent, nemo perspicit, cum abnormis corporis constitutio ante laesionem, saltem in laesione, omne accidens vero post laesionem existat. Simili modo, quae de ambiguitate hujus divisionis monet *Metzgerus*, fundamento carent, quanquam non negare velim, *Ploucquetum*, ut *Daniel* recte monuit, ultra terminum procedere, dum statuit: sola hac divisione judicem in quolibet casu singulo dijudicare posse, num laesio ex intentione directa aut indirecta illata sit (b).

(a) System &c. §. 61. 63. 66.

(b) I. c. p. 84.

### §. 10.

Multi medici et hos sequentes jurisconsulti inter  
letha-

lethalitatem absolutam et lethalitatem per accidens ponunt *lethalitatem per se*, tanquam tertium lethalitatis gradum, cui annumerant laesiones, quae sine medico mortem adducunt, tamen ope artis mideri possunt. Jam apud veteres scriptores simile quid invenimus, et inter noviores multi viri spectatissimi hanc sententiam tuentur; celeberrimum vero atque acutum defensorem invenit in Ill. *Metzgero*, qui hanc divisionem solum usui inservire autumat (a). Laesionibus per se lethali- bus annumerat, *primo* laesiones, quae mortem adduxe- runt, tanquam causa effectum, quanquam in earum curatione remedia quaedam non sint adhibita, de quo- rum vero vi et efficacia contra mortem imminentem medicis nondum est certum iudicium. Porro his an- numerat laesiones, quibus ad curationem necessariae vires vitales ita imminuuntur, ut neque natura, neque ars opem ferre possit. *Secundo* loco ponit omnes lae- siones, periculosas quidem, sed non desperatas e. g. laesiones capitis, vulnera pectoris et abdominis penetrantia, contusiones vehementes &c., de quarum exitu iudex, vivente adhuc laeso, certior fieri cupit, ut contra maleficum procedatur.

(a) Cf. *Metzgeri* System. aliaque scripta sua medico- forensia.

## §. II.

Contra hanc lethaliſſimam per ſe, multa dubia, praeprimis noviffimis temporibus, protulerunt viri eruditi, quae certo et *Metzgeri* acumen ingenii non fu-gerent, niſi firmiter, quam par eſt, inhaereret ſententiae ſuae.

Argumenta contra lethaliſſimam per ſe ſunt ſequentia:

1) Multae ex his laeſionibus per ſe lethaliſſimis re vera per accidens lethales ſunt; abſentia enim auxilii eſt caſus dolendus. Aliae e contrario, e. g. ſi laeſione etiam vires vitales deſtruantur, ad abſolute lethales pertinent (a). Quodſi vero abſentiam auxilii non circumſtantiis annumerare velis, quae lethaliſſimam per accidens produciunt, omnes laeſiones, quae abſentia auxilii mortiferae evadunt, abſolute lethaliſſimis annumerandae ſunt.

*Metzgerus* ipſe concedit l. c., ſeſione cadaverum, niſi lethaliſſima abſoluta jam evicta ſit, lethaliſſimam per accidens plerumque probabilem fieri. Quorſum itaque tertium, nempe lethaliſſima per ſe?

2) Diviſio ſupradicta laborat vicio obſcuritatis, quae dubia movet. Iudex enim in caſu ſingulo

gulo nunquam tute incedere potest, nescius, ad quodnam laesionum genus haec laesio in specie pertineat, num ad absolute lethales, num ad per accidens lethales, incertus igitur haeret in cognoscenda poena (b). Hinc ex hac divisione injuria saltem oriri potest.

3) Quod vero attinet ad casus, in quibus iudex de exitu laesionis periculosa dubius est, cum periculum mortis quidem adsit, minime vero spe vitae omni deleta, in his plane non video usum lethalitatis per se. Quodsi enim necesse est, ut medicus forensis de tali casu dubio per prognosin iudicet, semper declarabit, maximum adesse periculum, et mortem imminere. Insuper in foro recte anteponitur iudicium medici ex sectione legali, semper iudicio ex prognosi.

(a) *Roose Grundrifs ger. mediz.* Vorles. §. 143.

(b) *Ploucquet* l. c. p. 54. Consilia diversarum facultatum medicarum de uno eodemque casu, si quis adire velit, mox videbit magnum virorum doctorum disensum. Alii laesionem aliquam absolute lethalibus, alii eandem per se lethalibus annumerant, nec raro eventit, ut iterum alii hanc laesionem per accidens lethalem fuisse demonstrant, quorum opinio a iudice probatur.

## §. 15.

Inter medicos noviores inprimis Cel. *Kausch* divisiones lethalitatis laesionum hucusque usitatas rejecit, et sequentem introduxit (a).

A. Lethalitas absoluta.

B. Lethalitas per accidens.

a) Lethalitas individualis.

b) Lethalitas propter absentiam accidentis opem ferentis.

c) Lethalitas propter accedentem causam externam nocentem.

Recte vero contra *Kauschium* monent, hanc divisionem logices adversari praeceptis, cum lethalitas individualis, saltem ad verbum, accidentibus non sit annumeranda. Inciditque Vir Cel. in idem vitium, quod in antecessoribus reprehendit, statuens cum lethalitate absoluta idealem sanitatem. Porro pueritiam et senectutem accidentibus annumerat, minime vero juventutem et aetatem virilem, tanquam juvenes et viri non eodem jure fruantur cum pueris et senibus, nec non eadem tutela. Denique *Kausch* contra ordinem ad jus transit, in subdivisione ad gradum poenae respiciens.

(a) Geist und Kritik der med. und chirurg. Zeitschr.

Deutschlands. XVII. p. 197. et med. und Chirurg.  
Erfahr. Dr. 23. 24. 25.

§. 13.

Etiam novissima *Gebelii* divisio (*a*) non omne tulit punctum, ut ex sequentibus, iisque quae alio loco (*b*) contra eandem monui, apparebit.

Omnis laesio vel est *lethalis*, vel *non*.

A. Laesiones lethales vel sunt *absolute*, vel *per accidens lethales*.

a) absolute lethales sunt eae, quae in corpore sano, necessario mortem produciunt;

b) per accidens lethales, quae praeter laesionem praedispositionem in organismo praesupponunt, ut lethales evadant. Haec praedispositio

*α*) vel est *interna*

*αα*) aut antea jam in corpore praesens,

*ββ*) aut laesionis consequens, nisi artis ope impediatur.

*β*)

β) vel *externa*; haec post laesionem accedit, et supplet, quod internae deest.

B. Laesiones non lethales vel sunt:

a) *gravior*es, per quas reproductio majori gradu turbatur.

b) vel *leviores*.

Graviores saepenumero lethales existunt, saltem interitum unius sive plurium membrorum corporis aut longum per omnem vitam durantem morbum producunt.

(a) Knape und Hecker Jahrbücher der Staatsarzneikunde. II. St. I.

(b) Hall. L. Z. 1810.

#### §. 14.

Expositis his memoratu dignissimis lethalitatis vulnerum divisionibus, per se patet, quantum auctores celeberrimi in hac re gravi a se invicem dissentiant. Magnum hinc praxi oriri damnum, et varia de casibus in terminis judicia gigni, extra dubium est, quare et jurisconfulti saepenumero medicos ob hunc disensum reprehenderunt, quidam etiam reges provocarunt, ut

jusu huic liti finem ponerent, quod vero fieri non potest.

Jam igitur et ego periculum faciam, num forte quaedam proponere possim, quae quanquam non omnem litem componant, tamen viros doctos excitent ad ulterius progrediendum. Praeterea multa ex his, quae proferam, viris celeberrimis *Werner*, *Alberti*, *Ludwig*, *Eschenbach*, *Roose* rel. debeo, ut lubenter et in eorum honorem fateor.

## S e c t i o II.

*Tentamen novi discriminis inter gradus letalitatis.*

## §. 15.

**L**aesiones sunt vel *lethales*, vel *non lethales*.

A. *Laesiones lethales sunt, quae conditiones vitae in organismo ita tollunt, ut causae mortis existant.* Huc pertinet non solum causa primaria mortis, sed etiam causae vel magis vel minus cooperantes.

B. *Laesiones non lethales solum dici possunt eae, quae in se et immediate mortem sequentem non adduxerunt, sive ubi mors non ex laesione ipsa, sed solum ex aliis causis orta est (a); e. g. si in perduellio integumenta abdominis communia levissime laedantur, et mors sequeretur per apoplexiam.*

(a) *Grollmann l. c. p. 369.*

## §. 16.

*Laesiones non lethales*

*aut arte chirurgica in totum tolluntur,  
ita ut pars laesa anteriorem assequatur  
utilitatem;*

*aut tam perfecte curari non possunt, ut  
pars laesa conservetur, et anteriorem  
perfectionem assequatur*

I. *Illae*

a) *vel* leves laesiones esse possunt, nec corpori  
majorem substantiae partem detrahunt,  
nec organon tangunt, quod jam levi lae-  
sione destruitur, e. g. oculus.

b) *vel* laesiones graves, quibus nulla pars ad  
motum et sensum necessaria turbatur, et  
quae functiones vitales nullo modo im-  
minuunt, quamvis etiam post curationem  
laesionis vestigium in parte laesa restet.

2. *Hae* semper sunt graviiores laesiones, quas *aut*  
interitus partis vel majoris vel minoris momenti,  
sed sine vitae periculo sequitur; *aut* quibus partis  
laesae usus tollitur, sive immediate, sive mediate per  
consequentia; *aut* quae saltem deformitatem cor-  
poris mox sine alio detrimento, mox cum illo  
gignunt.

## §. 17.

## §. 17.

*Laesiones lethales sunt vel absolute lethales, vel lethales per accidens.*

*Absolute lethalis* est proxima, unica et incurabilis causa mortis, sive causa, quae mortem inevitabilem adducit (a).

*Per accidens lethalis* dicitur laesio, quae non sola, sed tantum concurrentibus aliis circumstantiis mortem adducit (b).

(a) Perillustr. *Feuerbach* (l. c. p. 185. Not. a.) laesiones absolute lethales vocat per se lethales. Sed non opus est hoc ambiguo nomine, cum res sit aperta, et nomen absolute lethale satis distinctum.

(b) Nomen *per accidens lethale* ambiguum esse (*Feuerbach* l. c. p. 187. Not. b. *Gebel* conf. *Knapé* et *Hecker* l. c.), non video, modo iuste definiatur *accidens* (cf. *Grollmann* l. c. p. 369). Caeterum cum *Feuerbachio* (p. 185.) consentio, qui vult, ut iudex ante legalem sectionem, medico forensi iuridicam quaestionem exponat, ad quam per visum repertum respondendum est, quanquam rationibus Viri Perillustr. non assentiam.

## §. 18.

I. In medicina forenfi vero solum eae laesiones absolute lethalibus annumerandae sunt, quae semper et sic ut evitari nequeat, mortem adducunt. Pertinent huc nullae praeter §. 21. enumeratas.

II. In praxi medica-forenfi tunc demum laesio absolute lethalis assumi potest, *quando res extra omne dubium posita est*, et inprimis artis experimenta frustranea extiterunt.

*Quodsi laesio quaedam curari potuerit, sed solum a medico artis peritissimo, non absolute lethalis, sed per accidens lethalis est; absentia enim medici excellentis est casus dolendus (a).*

(a) Jcti sine dubio cum his non consentient. Sed medici iudicium non principiis juris, sed ratione et experientia regitur.

## §. 19.

Errant vero, qui in definienda lethalitate per accidens solam experientiam sequuntur, et per accidens lethalibus eas tantum annumerant laesiones, de quarum  
cura-

curatione exemplum exstat. Nam nullam fere laesionem tam lethiferam invenies, de cujus curatione in simili casu non saltem unum existat exemplum (a). Casus enim extraordinarii non sunt numerandi, si de eo sermo est, quod plurimum fit, et de casibus quae regulam efficiunt (b); non quilibet gaudet extraordinariis viribus, non in quolibet casu extraordinario, sunt circumstantiae felicissimae &c.

(a) Exemplum memoratu dignum narrat *Richter* in Chirurg. Bibl. VII. p. 773. „Einem Manne wurde durch eine Flintenkugel, die in der Brusthöhle liegen blieb, das os humeri und die zweyte und dritte wahre Rippe zerschmettert; eine zweyte Kugel drang, jedoch ohne Verletzung des Knochens oder irgend eines großen Gefäßes, durch den linken Arm; eine dritte drang durch das Brustbein und blieb gleichfalls in der Brusthöhle liegen. Die Luft drang aus den Brustwunden so stark, daß sie ein brennendes Licht leicht auslöschten konnte; und doch wurde dieser schrecklich verletzte Mensch geheilt.“

(b) *Bohn* de renunciat. vulner. p. 38.

§. 20.

Laesiones absolute lethales

*vel* sunt tales, quae mortem in omnibus hominibus, sano corpore gaudentibus, efficiunt (*laesiones absolute in abstracto lethales*).

*vel* quae tantum in quibusdam hominibus ob irregularem corporis constitutionem, mortem efficiunt (*laesiones absolute in concreto s. individualiter lethales*.)

§. 21.

His constitutionibus extraordinariis et individualibus annumerantur:

1) partium internarum irregularis situs et structura, intestinorum situs contrarius, cursus majorum arteriarum et venarum inexpectatus, aneurismata externa et interna, cranium in quibusdam locis pertenuè, ulcera interna clausa, restans alienia post morbum graviozem, systema nervorum valde irritabile et sensibile &c.

2)

2) status singulares, in quibus laesus versabatur, dum laederetur, e. g. ventriculus immodice repletus, ebrietas, ira &c.

§. 22.

Laesionibus absolute lethalibus in genere et sub conditionibus antedictis annumerari possunt:

1) omnes eae laesiones, quae organismum corporis ita destruunt, ut corpus ad vitae usum non amplius sit idoneum.

2) laesiones eorum organorum, a quorum integritate vita immediate pendet, si tali laesione organa ad exercendas functiones suas inhabilia redduntur. Huc pertinent:

- a) laesiones organorum, ad respirationem et circulationem sanguinis maxime necessariorum, quae arte non curari possunt.
- b) laesiones cerebri, medullae spinalis, et nervorum majorum.

Sive hae laesiones immediate organo sint inflictæ, sive mediate illud afficiant, e. g. per hæmorrhagias in cavitates corporis, per sequentem inflammationem, per suppurationem, per gangraenam: ubi impossibile est, ut arte curentur.

3) omnes laesiones, quibus corpus ad vitam necessariorum potentiarum irritantium privetur, et quidem:

- a) laesiones unius sive plurium vasorum sanguiferorum, si tantae sunt, ut sequens haemorrhagia nullo modo possit supprimi,
- b) laesiones arte incurabiles, quae omnem usum tollunt organorum digestionis et nutritionis,

4) omnes laesiones, per quas vis vitalis cerebri atque systematis nervorum horumque influxus in corpus humanum ejusque functiones ita interrumpitur, ut corpus intra breve tempus morti succumbat. Has laesiones sequuntur concussiones s. commotiones, paralysis, inflammatio et gangraena. Mors saepe venit subito, saepe post aliquod tempus, tamen semper inevitabilis est, veniat subito aut lento pede.

Huc referendae sunt primo loco laesiones capitis et columnae vertebrarum, commotiones systematis nervorum fulmine sive electricitate sive verberibus contra ventriculum productae; etiam his annumerari debent

bent tales, ubi per combinationem plurium laesionum, quae singulae non absolute lethales sunt, vel immediate e. g. verberibus, vel mediate, inflammatione et gangraena, mors adducitur.

---

